



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psalm. LXXI. In te Domine speravi, non confundar, &c. Carm. gen. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Qui me consilijs petunt.  
 Terga dent, fufos pudor ut perurat,  
 Qui rident gemitus meos.  
 Teq; clementi & placido fruantur,  
 Qui gaudent placitis tuis.  
 Qui salutis spem posuere in uno  
 Te certam penitus Deo,  
 Gaudeant, semperq; canant, Perennis  
 Maiestas & honor Deo,  
 Sunt meæ uires & opes pusillæ:  
 Sed tu me Deus adiuua.  
 Tu meæ uires, mea spes, opesq;  
 Festinus fer opem mihi.

PSALM. LXXI. *In te Domine spera-  
 ui, non confundar, &c. Carm. gen. 15.*

IN te salutis spem posui meæ,  
 Fac me perennis ne pudor obruat.  
 Audi uocantem lenis, & eripe  
 Hostis cruenti me uiolentiæ.  
 Vitæq; custos & columen meæ,  
 Turrisq; rebus semper in asperis,  
 Nunc turris esto & perfugium mihi,  
 Et scruientem subtrahe dexteræ.  
 A ui scelestæ subtrahe dexteræ  
 Pendentem ab uno subsidio tuo:  
 Et qui iuuentæ tutor eras meæ,  
 Orbam senectam uiribus assere.  
 Tu me tuendum matris ab ubere  
 Duxti: pependit matris ab ubere  
 Spes nostra de te. materies meis

Vna est perennis laus tua cantibus.  
 Ceu continenter prodigium malis  
 Natum ferendis, rideor impijs.  
 Sed me malorum fluctibus obrutum  
 Spes una fulcit præsidij tui.

Me lux uidebit, me tenebræ tuas  
 Laudes canentem: tam senio grauem,  
 Fractisq; lasso corpore uiribus,  
 Ne me impiorum trade libidini.

Et clam su furrant, & caput in meum  
 Occulta tendunt retia per scelus.  
 Et dum scelestum propositum premunt,  
 Aiunt, Ope illum destituit Deus:

Instate fracto, prendite, perditæ  
 Nudum salutis uindice. Tu Deus  
 Ne linque fretum præsidio tuo:  
 Præsensq; sæuis hostibus eripe.

Pudore uultus inficiat rubor  
 Hosti dolofo, fraude nefaria  
 Qui me aucupatur: mæreat irrita  
 Conata, uanum lugeat exitum.

Liber periculis, carmine te nouo  
 Pangam tenacem polliciti, & tuis  
 Promptum iuuandis: & numeris meis  
 Aptabo laudes innumeras tuas.

Canam potentem te dare prospera  
 Euenta, belli quum fremuit timor:  
 Canam fidelem reddere federum  
 Promissa largo non sine fœnore.

Abusq; primo flore puertix  
 Laudum tuarum tu mihi carmina

Semper

Semper præisti: ne senio grauem  
 Canumq; nunc me spes mea defere,  
 Donec nepotum sæcula nouerint  
 Me uate. quanto robore, qua fide  
 Me liberaris. iustitiæ tuæ  
 Conuexa mundi gloria transuolat.  
 Rerum creator, quis similis tui?  
 Qui me malorum gurgite merferas,  
 Mitisq; uita rursus amabili,  
 Tracto è profundo gurgite, das frui.  
 Opesq; honorés q; accumulās bonus,  
 Ira remissa: & pectora turbida  
 Solaris. ergo te cythara canam  
 Nabloq; certa conspicuum fide.  
 O sancte, nostræ gentis ab ultimo  
 Protector ortu, uox mea te canet:  
 Te spiritus, te uita laboribus  
 Exempta duris, laudibus efferet.  
 Lux nulla solem proferet aureum,  
 Qui prædicantem iustitiam tuam  
 Non audiet me, rex bone, qui meis  
 Rubore uultum offuderis hostibus.

PSAL. LXXII. Deus, iudicium tuum re-  
 gi da, &c. Carm. gen. 5.

**D**A tuæ regi Deus æquitatis  
 Ius ad exemplum dare, filioq;  
 Regis, ut legum patriæ ad salutem  
 Flectat habenas.

Ut regat iustis populum institutis,  
 Pauperum questus facili tuorum